

159

IN HISTORIAM POGGII FLORENTINI

PRÆFATIO LUDOVICIANTONII MURATORI.

Usq; ad Annum 1715. versata quidem est inter Eruditorum manus Historia Florentina Poggii; sed quae tantum e Latina fuerat in Italicam Linguam translata a Jacobo eius filio; quippe Latina nescio quo fato eo usque laterat manu dumtaxat scripta in paucis Italiae Bibliothecis. Quod nunc Latino textu fruamur, curae debemus nobilis & Clarissimi viri *Johannis Baptistae Recanati* Patricii Veneti, qui Anno eodem 1715. Venetis typis eum tradidit, effecitque, ut Poggium non alienis, sed suis verbis, Florentinae Reipublicae res enarrantem nos denique audiremus. Et digna profecto ejus Historia, quae Collectioni huic meae conjungatur, utpote quae ab Anno 1350. usque ad 1455. deducta supplementum non leve nobis suppeditat conscriptae a *Vilanis* ambobus Historiae. Atque haec etiam in causa fuit, cur a Florentinis Historiis *Leonardi Aretini*, & *Petri Boninsegni* heic recudendis abstinere me posse crediderim, quum ad Florentinarum rerum continuationem satis subsidii afferre videantur *Sozomenus*, simulque *Giinus* & *Nerius Capponii*, antea a me editi, & nunc *Poggii* iterum edendus. Neque profecto onerandi mihi nimium Lectores, atque huic Operi tandem quaerendus est finis. Nimirum si singulos Seculi XV. Historicos in Collectionem istam invehere animus foret, in molem fortassis immodicam crederet Opus, & periculum subesset; ne pro gratis habendis contumelias mihi referrent, qui hactenus laboris mei amatores fuere. Ceterum de Poggii literariis foetibus, rebusque ab eo gestis, nulla mihi mentio erit, quando hanc spartam praecoccupavi & supralaudatus *Recanatus*, qui illius vitam conscripsit, heic itidem recusam. Sunt etiam in hanc rem legendi *Julius Niger* e Societate Jesu in Histor. Scriptor. Florentinorum, & *Vossius* de Historic. Latin. Lib. III. Cap. V. & Cl. V. *Apollolus Zenus* Tom. IX. *Diani* Literatorum Italiae, ut taceam *Philippum Bergomatem*, *Pocianum*, *Vossium*, & alios, qui de Poggio loquuti sunt. Id tantummodo praeterire nolo, adservari in *Ambrosiana* Bibliotheca MStum Codicem *Epistolarum Poggii Florentini* ad varios Principes, & literatos viros scriptarum, e quibus, ut opinor, non paucae nondum lucem viderunt, & dignae fortasse sunt, quae videant. Porro exploratum est, cura Poggii factum esse, ut nos nunc habeamus integras *Quinctiliani* Institutiones Oratorias, quae antea mutilae, ac informes, atque apud paucos inveniebantur. Is enim *Constantiae* pretiosum Codicem MStum, omnia tanti Auctoris complectentem, e tenebris eruit, & Reipublicae Literariae communem postea fecit. In *Ambrosiana* Bibliotheca & ego vidi *Rapbaelis Regii* in ducentas *Quinctiliani* depravationes ducenta *Problemata*, *Patavii* scripta Anno *MCCCCXCI.* & dicatas *Illustris. Barii Ducis Ludovico Sfortiae Vicecomiti*, *sapientissimo Ducatus Mediolanensis Gubernatori*. Inter cetera ait *Problem. I. Mihi verò Defuerint plurium numero legendum esse contendenti, ad stipulatur vetustum illud exemplar, unde reliqua facile crediderim fuisse descripta, quod a Poggio Florentino, una cum dimidiatis Asconii Paediani in quasdam Ciceronis Orationes Enarrationibus e Germania allatum, nunc in magnificentissima Laurentii Medicis Bibliotheca spechatur, tamen si de illo verbo Defuerint illic quoque N. litera alicujus parum judicio pollentis temeritate expuncta videatur.* In altero quoque ejusdem *Ambrosianae* Codice habentur *Quinctiliani* Institutiones; atque in calce additur *Epistola Poggii*, quam quia nondum editam puto, ad augmentum Literariae Historiae referre huc statui. Eam quoque sibi in eodem Codice visam laudavit olim *Clarissimus Mabillonius* pag. 211. *Itinerarii Italici*, atque ex ea fragmentum depromit.